AD CARDINALITIAM

Quæſtio Medica, matutinis agitanda diſputationibus, in ſcholis Medicorum, die Iouis, 3. martij, M. Nicolao Ellain, Doctore Medico, moderatore.

An ſui ætatum vt tempeſtatum morbi?

EXIMIA, ſed inconſtans hominis valetudo innumeris contra naturam affectuum velut hoſtium incurſionibus vndique percellitur, è quibus morbi partium corporis ſubſtantiam obſident, earumque functiones primò & per ſe trifariam lædunt. Ipſorum alij communes, qui ſub eadem forma multos cuiuſcumque ætatis, naturæ & cõditionis ſimul corripiunt, ſeu vernaculi ſint & indigenæ, ἐπιχώριοι quâuis anni conſtitutione continenter graſſantes, ſeu populares & aduenę, ἐπιδήμιοι certo duntaxat tempore in plurimos confertim ſeſe effundentes: qualis ſæpe fuit Pleuritis vel dyſenteria cùm hyemi auſtrinæ ver ſucceſſit aquilonium: Alii diſperſi, qui ſub multiplici ſpecie ſinguli ſingulos aggrediuntur. Hic Cauſo exardeſcit, alter anginâ ſuffocatur; iſte nephritide cruciatur, alius ictero deturpatur. Ad omnium generationem non tantùm efficientis robur & ἐνέργεια, ſed etiam ſuſcipientis diſpoſitio & ἐπιτηδειότης potiſſimùm requiritur.

AD morbos infligendos, aëris per cuncta rerum meabilis, quàm cæterarum cauſarum vis efficacior, in totius anni conſtitutionibus tempeſtatumque mutationibus ita conſpicua, vt non tantùm earum alienatio vel alteratio, ſed & ſola κατὰ διαδοχὴν conuerſio νοσοποιὸς exiſtat. Ac inter anni conditiones ſiccitates imbribus quidē ſalubriores, ſuas tamen habent præter naturam affectiones, acutas febres, tabes, arthritides, ſtrangurias. Auſter auditui grauitatem, oculis caliginem, capiti dolorem, vniuerſo corpori torporem ac diſſolutionem infert. Boreas tuſſes, faucium aſperitates, alui duritiem, dyſuriam, horroremque potiùs quàm rigorem excitat. At ex anni temporibus ver dyſenteriam & anginam à ſanguine procreat, grauedinem, raucitatem, tuſſim à pituita, maniam ab atra bile, melancholiam à fæculento ſucco, epilepſiam à quouis redundante: denique lepram, impetiginem, vitiliginem, exanthemata, tubercula, & arthritidem profert & ſuſcitat.

TOT morborum fluctibus placidiſſimâ tempeſtate iactamur. Reliquis etiam grauiores commouentur. Æſtate febres ardentes in vaſis, tertianæ in habitu, vtræque phlebotomia curandæ, carbunculi, partium obſcœnarum σηπεδόνες. Autumno quartanæ, omnium ſecuriſſimæ, hydropes ſcirrhoſi lienis conſectarii, lienteria ventriculi propria, vt inteſtinorum dyſenteria, ab atra bile lethalis, tabes remediis ſuperior, aſthma, voluulus, iſchias, epilepſia, mania, melancholia. Hyeme pleuritis & peripneumonia, tunc grauiores quàm æſtate, lethargus, vertigo, apoplexia febre ſuperueniente miteſcens, capitis, lumborumque dolor. Atque hi tempeſtatum familiares affectus in ipſis bene conſtitutis, & cum ὡραῖα fiunt ὡραίως, bene morati ſunt, εὔτροποι καὶ εὐκρινέες: vbi verò intempeſtiua ſunt omnia, inordinati & δύσκριτοι.

SED tempeſtatum omniſque efficientis cauſæ vis ſine ſubiecti præparatione irrita eſt. Naturarum & ætatum aliæ ad alias tempeſtates & morbos bene vel malè comparatę ſunt. Vere pueri, æſtate ſenes, hyeme iuuenes, autumno μεσήλικες ſalubriùs viuunt. νεογνὸς tamen aphthis angitur, vomitu tuſſique diſrumpitur, vigiliis & pauoribus agitatur. Dentientem gingiuarum exulcerationes, conuulſiones (infra ſeptennium leues) diarrhœęque conſequuntur. Puero anhelitus aduenit, calculus in veſica concreſcit, lumbrici teretes in inteſtinis ſtabulantur, aſcarides in ano nidulantur, ſtrumæ exoriuntur. Prouectiori & pubertati quàm proximo ſanguinis è naribus curſus febreſque fiunt diuturniores.

IVVENIS, licet robore præſtans, peſſimis expoſitus eſt affectibus, hæmoptyſi phthoën pręnuncianti, febribus acutiſſimis, necnon morbo comitiali, qui vt catharticis cholagogis & ſectione ſaphenę expugnatur, ſic pane vel ſolo vel ex ſucco granatorum, aut vino albo tenui oblato demulcetur. Conſtantis ætatis virum exercent lethargus, nunquam per viſcerum conſenſum oriundus, phrenitis cerebri propria, diarrhœæ longę, maximè verò hęmorrhoïdes melancholicis & nephriticis ſalutares. Multa ſenem circumueniunt incommoda, cuius caput vertigo tentat, apoplexia premit, ſenſum communem exagitant vigiliæ, thoracem dyſpnœæ & deſtillationes tuſſiculoſæ lædunt, renes torquet nephritis, veſicam dyſuria & ſtranguria exſtimulant, articulos dolor excruciat, vniuerſam denique vitioſi habitus corporis cutem pruritus ſcabieſque dilacerant.

Ergo ſui ætatum vt tempeſtatum morbi.

Proponebat Ioannes Akakia Pariſinus, anno Domini 1611.